



Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

A NAZ.

nuale III

V

OLI

BIBLIOTECA NAZ.

Vittorio Emanuele III

XIV

A

4

NAPOLI



Digitized by Google

BONI PASTORIS

EXEMPLVM AC SPECIME

SINGVLARE.



VENETIIS. M. D. LVI.



Epitaphium Io. Matthæi Giberti
Pontificis Veronensis.

Giberti uenerator hic sepulchrum,
Quem Ligur genuit Panormi in urbe,
Roma nutrit, et diu regendi
Orbis participem beata uidit,
Dein Verona recepit, et magistrum
Sinceræ pietatis, et parentem
Mirata est, nihil ille, quod beatam
Posset reddere ciuitatem, omisit,
Nunc coelo fruitur beatus ipse.

Exemplar Galatinus



O C commentariolo, quod tu, Io. Franciscus, superioribus diebus in Britaniam profecturus a me tantopere flagitasti, se minus expressam, adumbratam certe rationem illam animaduertes, qua uir optimus et sapientissimus Episcopus Ioan.

Mattheus Gibertus Diocesum suum, dum hic uiueret, administravit. Ex quo facile perspici poterit, quantum Christiane Reip. intersit, ut pastores ipsi non per alios, sed per se munere fungantur suo. Hinc absentes incitabuntur, ut ad greges suos reuertantur. Praesentes, ut eos ne deserant. Rudes preclarum habebunt exemplar, quod imitentur. Periti ad emulandum inflammabuntur. Omnes deinde, quibus animalium cura demandata est, ex huius libelli lectione utilitatis aliquid percipient. Quod si reliquis ingratus fuerit, tibi certe, qui auctor extitisti, ut etenebris, in quibus multis iam annis iacuit, in lucem prodiret, gratum fore non dubito, lectissimo item uiro Aloisio Priulo, atq; adeo ipsi patrono nostro, Illustriss.ac Reverendiss. Cardinali Reginaldo Polo Apostolicae sedis Legato, non tam ob nouum Cantuariensis Archiepiscopatus onus, quod illi a Sanctissimo ac Beatisimo patre ac Domino nostro Paulo.iiij.Pont.Max.impositum et commendatum est, Quid enim illi tam exiguo libello sit opus, qui multis iustis uoluminibus de boni pastoris officio doctissime disputatione? q; ob fructum, quem noui pastores passim in Britanniae regno, quod nuper Philippi et Mariæ Regum Christiane pietatis et orthodoxae fidei amantisimorum auspi-

Eius in sancte Romane ecclesie tanq; in dulcissime atque
amantisimae matris simum redijt, inde percipient, in pri-
misq;, quod ipsi suauissimam hominis amicissimi Io. Mat-
thæi Giberti Episcopi Veronensis memoriam renouabit,
qui cū anno ab hinc duodecimo ex hac misera uita ad bea-
tam et coelestem migrarit, nos eius amici diem hunc quem
semper acerbum, semper honoratum ubique habuitur sa-
mus, Petri Contareni uiri optimi & nobilissimi hortatu;
Romæ in æde Divi Enoplij, iusta illi rite ac pie sacris,
solennibus persoluentes celebrauimus. Vale Rome II.
Kal. Ianuarij. M. D. L V.



Vae de Venetorum Republica
sæpe vel legimus uel audiuismus,
fili, ea mihi curiosus inquirenti re-
 ipsa maiora etiā comperta sunt,
 itaque sic ego statuo, hoc tem-
 pore nihil esse, quod hac rep. magis aut Italianam
illustret, aut incorruptam illam antiquitatem re-
 p̄äsentet. Eius dignitatem, potentiam, opes, &
 administrandi rationem ad te non grauarer per-
 scribere, sed cum multi diligenter id munus sit
 persecuti, quorum monumenta apud te habes,
& saepissime (vt. arbitror) perlegisti, nuper au-
 tem vir quidam eadem diligentius fortasse, quatinus
 ceteri, complexus sit, hoc labore supersedebo.
 tantum operam dabo, vt quæ vir ille lingua sua
 patria nuper edidit, ea quam primum ad te aut
 nostrati, aut latīna oratione exposita perferantur,
 ego uero, quod tibi non minus gratum, vitæ
 quidem certè, quam instituiſti, uirilis futurum sit,
 ipse conficiam, vt scribam ecclesiasticæ genus ad-
 ministrationis, quod in una huiussee Reip. Ciuita-
 te, summa mea cum voluntate, & incredibili cum
 admiratione perspexi. Quod si tibi in eo mune-
 tre, quod hactenus propter aetatem per alios es exe-
 turus, nunc autem obire per te fauente Deo opti-
 mo Maximo deliberasti, tanquam exemplar ad
 imitandum proposueris, futurum spero, ut me

lior, ac prudentior effectus, gregemq; qui cib
creditus est, salubribus pascens exemplis & in-
stitutis, & a lupo rum incursibus seruans inco-
lument, tandem ubi Diuinus ille, & bonus om-
nium Pastor Iesus Christus decreuerit ouium
suarum numerum recensere, una cum grege tuq;
ad dexteram ipsius collocatus optatissimam il-
lam ac suauissimam vocem audias, venire be-
nedicti patris mei, possidete paratum uobis Re-
gnum, &cæt. Sediam ipsius rei ita nascatur
exordium.

CVM MIHI O B ea negotia, quibus hanc
peregrinationem suscepī, Verong necessitate esse
dies aliquot commorari, atque in eam ipsius
verbis tum amplitudinem, amoenitatem, pro-
pugnacula, flumina, pontes, templa (est enim
his rebus omnibus ornatissima), tum ciuium
ingenia, mores, & instituta studiosius con-
templarer, multa quidem me summopere delecta-
runt, sed illud in primis mirifica quadam animaque
meum uoluptate perfudit, quod ea, quæ ad sum-
mi Dei cultum & religionem, quæ ad bene beat-
ecipit uiuendum, quæ ad mores hominum perti-
ment, adeò præclare sancteç reperi consenserunt
nihil unq; pulchrius viderim, nihil perfectius, nihil
seque numeris omnibus absoluimus. Itaque cum
statuissent haec ipsa, quæ me tam opere delectar-
bant, diligenter inquirere, ac proprius inuicri, nec
putarem fieri posse, quin eius corporis, animi scilicet

qua membra, tam apta, pulchracē uita essent, caput
ipsum longe pulcherrimum esset ac præstantissi-
mum. Episcopi vitam, ingenium, studia, familia-
res partim egomet explorauī, partim ex viris opti-
mis eius actionum omnium peritissimis intelle-
xi. Hæc autem ad te perscripsi, ut haberes tanq;
volum exemplar, unde lumenes instituta, quæ in
suo, tuorumq; excolandis animis exerceres, nec
posses negligentiae culpam (ut saepe fit) in tem-
pora & mores hominum coniūcere, cum videres
non priscis sanctorum patrum temporibus gesta
sicta ue referri, sed quæ hoc ipso tempore gerantur,
quæque mihi perspecta explorataque sint,
commemorari. Nec tamen ignoro, ea, quæ scri-
bo, nec omnia, nec uno tempore confici præ-
statique posse, cum, ne ille quidem omnia aut
breui, aut eodem tempore, sed multa cum pa-
tientia multisque laboribus, opportunitates ex-
pectans, arripiens, atque etiam pariens introdu-
cerit. Verum, quemadmodum plantæ, quas
solers ac laboriosus agricola transfert a proprio
solo, non omnes æque proueniunt, sed partim
intereunt, partim degenerant, æquales fructus
nonnullæ, paucæ. Si cura non desit, maiores etiam
ac meliores edunt: ita si fauente coelesti gratia in
tuorum animis hæc instituta tanquam lecta qua-
dam semina ac felices plantas deposueris, studio-
seque ac diligenter in eam curam incubueris, ut
coalescant, non dubito, quin si forte quedam

propter variū ingeniorū, veluti cœli, mores,
& diuersos locorum habitus interierint, maiora ta-
men pars ita prospere sit euentura, ut fructus tan-
dem optatos afferat in vitam æternam. Illud au-
tem te velim scire, me non omnia perfectum
(neque enim tam exiguo spatio id fieri potuit)
sed ea dunitaxat, ex quibus, si rationem elusatio-
di, ut spero & opto, in ista dioecesi retinendam cen-
sueris, alia per multa tibi, ut loca, & tempora po-
stulabunt, non difficile erit excogitare. primum
igitur qua ratione se ipsum ac domesticos suos
regat, exponam. tum diligentiam eius in totius
dioecesis administratione declarabo. postrem
quibus modis aut prauos mores & quasdam in-
ueteratas consuetudines correxerit, aut noua &
optima quædam instituta passim disseminarit, bre-
uiter simpliciterq; subiçiam. Hæc enim non om-
nibus scribimus, sed uni tibi, nec spe quæstus aut
glorię, sed tua gregisq; cui utilitate commoti. Itaq;
satis amplum laboris fructum, tulisse me existima-
bo, si ex eo te tuosq; ad pie christianeque viuen-
tium adiumenti aliquid sensero percepisse.

Quanquam hominum mentes solus recte scrū-
tatur Deus, tamen, ut arbor ex fructibus, sic ex suis
quiscq; factis & operibus cognosci potest. Quamo-
brem, quod ad ipsum hanc Episcopum attinet, cū
iam inde a pueritia semper honeste sancteç vixe-
rit, in ipsacq; adolescentia res maximas atq; grauiſ-
simas prudenter incorrupteç administrari, cumq;

5

hoc ipso tempore in eam unam cogitationem in-
cubat, ut se, familiam, uniuersumq; gregem suum
summo Deo gratissimos reddat, dubium non est,
quin voluntatem rectissimam habeat, quam faci-
lius ut exequatur, domi viros tum vitae morumq;
sanctificare, cum multo rerum usu, literarumq; peri-
cia prædicos alit, quorum consilio & opera in re-
bus & priuatis & publicis utitur. reliqui eius om-
nes domestici & familiares, siue honesto, siue me-
diocri, siue etiam humili, abiectoq; muneri desti-
nati, tales sunt, vt ex illis etiam facile possit, qualis
sit eorum dominus, iudicari. Nemo enim eorum
ludo, nemo compensationibus, nemo minus æquis
voluptatibus vacat. id forte cuipiam mirum uidea-
tur, sed desinet admirari, qui mirificam eius tum in
eligidis tum etiam in conseruandis bonis fami-
liaibus diligentiam intellexerit. Nemo enim in fa-
miliam recipitur, cuius de moribus & vita dubite-
tur. Quisquis autem ingreditur, tantum abest, ut
quas prius habebat virtutes, amittat, ut eas etiam
augeat & accumulet. Cum enim probitatem ui-
deant in honore & pretio esse, improbitatem in-
uisam, & grauiter vindicari, qui boni sunt ad co-
lendam uirtutem & religionem alacriores sunt,
qui in occulto mali, ad abiectiēdam omnem ex ant-
mis malitiam incitantur. id autem eo facilius effici-
tur, quod omnium uitiorum & scelerum fonte &
origine depulso otio, in exercitijs procuiusq; offi-
cio conuenientibus assidue tenentur occupati. Pre-

sera qui universæ familiæ præficiuntur, et si modi
sunt, ut uel amanter communentes, uel acriter ca-
stigantes, uel denique prudenter ad Episcopum de-
ferentes facile & bonos in officio coniueant, &
malos non sinant in peius ruere, sed ipsos itaq[ue] re-
ducant ad bonam frugem, aut certe domo ne ego-
teri corrupti pantur, efficiant. Ad hæc tamen optime
sciat Episcopus, miserans hanc hominis esse, dum
hic viuimus, conditionem, ut quotidie cadat, at
surgens identidem recidat, nisi crebris firmisq[ue] ad
miniculis fulciatur, cumq[ue] eorum, qui in mundi pe-
lago ad peccatorum scopulos illata innocentiae na-
ui misere naufragium fecerunt, unicum refugium
Si poenitentia sacramentum, & qui prospere uia-
dentur navigare, nisi frequentium orationum ue-
lis diuinæ coelestis spiritus auras capeant, & sacra-
tissimæ eucharistiæ sacramento, tanquam sacra
quadam anchora innitantur, periculose admo-
dum se negotiorum navigationi committant, ita-
tuic, ut laici familiares sæpius in anno confessio-
nis & communionis sacramenta suscipiant, quo-
tidie autem & priuatim quisque precibus incuma-
bat, & universi bis saltem conueniant, semel ma-
ne, cum sacro intersunt, iterum uesperi, cum sup-
tem psalmos & alias preces præsentie, atque adeo
uoce & spiritu præcedente Episcopo, Domino
Deo nostro persoluuntur. postremo turpe pu-
cant, se gulæ, aut somno indulgere, desidiumq[ue]
& ignaviam sequi, cum Episcopum ac Dominum

suum somni eibique parcissimum perpetuis cernant
 vigilijs & laboribus distineri. quieti namque cum
 plurimum, septem horas concedit, cibum in die-
 bis capit; in quo ut mundissam diligit, ita deli-
 cies spernit. missus ternos in mensam eius inferri
 agos est, ternos ad summum vini cyathos atque
 illos quidem mediocres bibit. in prandio & item
 in cena vix horae dimidium consumuntur. quod
 quidem tempus omnino non perditur. si quidem
 antiquus interim sacrorum librorum recitatione
 recreatur. Oij prorsus ut in suis, ita in se ipso est
 hostis acerrimus. Quocirca nunquam cessat. sem-
 per enim aut in rebus diuinis, aut in legendo scri-
 bendoque, eisque, qui se adeunt audiendis occu-
 patur. unicur autem facili tum in scribendo rescri-
 bendoque, tum in audiendo accedentes, cuius-
 zunque sine conditionis, benignitate. Nam cum
 semper omnibus facilis ad eum aditus pateat, tria
 tamen tempora huic rei praescripta sunt, unum
 mane, auditio sacro, & alterum statim a pran-
 dio. quibus in loco omnibus peruso, quicunque
 aliquid volunt, accedunt, eisque se affabilem præ-
 bes, hac tamen vtens dexteritate, ut pauperum
 capo agrestium quam urbatorum negotia prius
 expediatur; quosquidem magna cum humanitate
 & patientia audit, eonunque infortunia, miser-
 rias, & calamitates, verbis, consilis, opibus,
 quantum res & temporis patientur, subleuar, atq;
 susteneras, secunda inter contum & quietem, quod

solis domesticis impenditur . quo tempore
& sumptus , & negotiorum , & sui quisque diuine-
ris rationem reddit . Tum ille , quæ recte facta sunt ,
laudat quæ contra , corrigenda , evocandaq[ue] p[re]a-
cipit . quid in posterum agendum , quid omittendu[m]
sit , consulit . Illud mihi nullo modo p[re]terea
reundum videtur , quod , ut ministri ac famuli
suis pactas singulis mensibus mercedes enumera-
endas , sic ab artificibus & mercatoribus res &
opera p[re]senti pecunia sumenda curat , id est non
tam nullum ut æs alienum contrahat , quam ut
nullam pauperis aut cuiusque omnino mercedem
apud se manere patiatur . Multa p[re]terea essent
in eius domestica administratione consideranda ,
sed quoniam ad maiora festinat oratio , haec pauci-
ca dixisse sufficiat . Tu fili charissime , si cupis , futu-
ritos tuos optimos esse , da operam ut te optimi
esse cognoscant . Sic enim tibi persuadeas uelim ,
qualis ipse fueris , tales tuos domesticos fore , do-
mesticis autem futuram esse similem universitas
eorum multitudinem , qui tuæ subiecti erunt gu-
bernationi . Domesticam huius sanctissimi p[re]fuc-
tis curam ac solicitudinem auditij nunc summatus
eius in vniuersa dioecesi regenda studium p[re]cep-
gilantium accipe .

Quoniam misericordie temporibus Episco-
porum manus tot & temporalium & spiritualium
impedimentorum laqueis vincitae sunt , ut
expeditè munere suo defungi nequeant , magnam

7

diligentiam adhibet, ut a summis pontificis sancti-
care quam potest maximam auctoritatem obti-
neat, quo miseras peccantium animas, multis
variiisque vinculis illigatas, absoluere possit & ex-
plicare. Sunt enim plurimi tam ex laicis, quam
ex religiosis (ut in eam multis prohibitionibus
ex seculata hominum vita licet coniungere) par-
tim irregularitate, & alijs censuris, partim matri-
moniorum impedimentis, ut affinitatis, con-
sanguinitatis, cognationis spiritualis, machina-
tionis in mortem, promissionis cum adulterio, &
id genus alijs per multis adeo impliciti, ut eorum
nonnulli in peccatis misere contabescant. Qui-
bus, cum ipsi propter paupertatem non possint
impensas sustinere, licet & processus formandus
curetur, & dispensatio gratis offeratur, ab eis ta-
men impetrari uix potest, ut ad eam accipien-
dant proficiscantur, nisi sumptus etiam itineris
suppedetur. omitto frequentes supplicationes,
quas eiusdem sanctitati, & Reuerendissimo ma-
gno Poenitentiaro porrigit eam pro hoc, quam
pro atero illo incestuoso, non solum in secun-
do, & primo gradu, sed etiam ubi nullus est gra-
dua, & pro multis alijs nefandis impedimentis,
que ille omnia more pii patris efficit, ut miser-
i peccatores faltem in foro conscientiae libe-
rati aliquando tandem respirare possint ad coe-
lum.

Eadem in haereticos & religiosos apud Sere-

niissimum Principem, Illusterrimumque Senatum
Venerum, & excellentissimos Decemviros uti-
tur sedulitate. eorum enim auxilio duplificer in-
diget: primum ne multa, quæ ad meram curam
spiritualē pertinent, impediāntur, sed potius
ita confirmantur, ne fructuā ipsorum expeditio
Romæ sit impetrata: tum, ut ea, quæ mixti sunt
fieri, licet propter abusum, & Episcoporum ab-
sentiam, & ut rectius carentur ita sunt abrogata,
ut eorum ius nolint amplius ad ecclesiasticos per-
tinere, concedunt tamen, ut absurditates remo-
ueantur, & res suam obtineant æquitatem. Hæc
autem (ut video) talia tam multaque sunt, ut
sustineri vix possint, rectè autem omnia confici
ne vix quidem. Vetus summa huius viri patien-
tia, constantiaque perspicit poteſt, qui in tam ar-
dua perpetuaque difficultate nunquam deficiat.
neque enim illi tam dolendum uidetur ob multa,
quæ nequeunt obtinere, quam gaudendum ob
pauca, quæ impetrantur, quæ satis multa vide-
ri debent, quando plura impetrari non posse.
animus autem hominis cum deum aliquo mo-
do conquescit, cum negligentiam suam uidet
non esse causam, quominus, & cætera confi-
ciantur.

Quia ut Episcopi domum omnium concilii ci-
uitatis familiarum, ita cathedralis ecclesiam cæ-
terarum uniuersæ dioceſis ecclesiarum exem-
plum esse contineat, non alienum erit, ut arbi-

tor, si quod de Episcopi familla fecimus, idem
de cathedrali ecclesia faciemus, ut prius formam,
rationem, & ordinem ipsius exponamus. Qua-
quidem in re si quædam superiorum etiam huius
civitatis Anufitium (multos enim sanctissimos
habuit) instituta recensuero, nolim existimes me
a proposito susceptoque negotio discessisse. nec
enim hoc scribendi munus suscepi, ut uitam hu-
iis Episcopi contexerem, sed ut te, fili, in ad-
ministratione ista tua rectis illius, & aliorum com-
memorandis actionibus adiuwarem. Quanquam
id quoque ad præsentem Episcopum pertinebit.
Si quidem non minus studeret, ut ab alijs pie præ-
clareque constituta confirmet, tueatur, ac melio-
ra, quoad eius fieri potest, efficiat, quam ut no-
ua ipse excogiter, atque constituar.

Templum igitur ipsum, quod satis amplius
pulchrumque reperit, cum ob quædam impedi-
menta maius, ut optabat, fieri non liceret, pul-
chrius efficiendum curauit. Nam cum ligneis ta-
bulis pavimentum antea tectum esset, nunc po-
licitis uarijsque lapidibus atque marmoribus arti-
ficiose congestis, magnifice stratum cernitur.
cumque & chorus ipse reliquo corpori nec am-
plitudine nec pulchritudine responderet, & lo-
cus, ubi reponebatur sacramentum eucharistiæ,
in angulo quodam uiseretur, chorum ipsum mi-
ro quodam artificio pulchriorem, amplioremque,
pro personarum dignitate sedibus distinctum ita

perficiendum curauit, ut in medio tanquam coe
in pectore, & mentem in animo, tabernaculum
ipsum, vbi sacrosanctum Domini Iesu Christi
corpus ponitur, contineret. Quod quidem ta-
bernaculum ex diuerso ac pretioso marmore cry-
stalloq; summo studio artificioq; confectum qua-
tuor Angeli ænei supra maius altare, quod ere-
ctum est in medio choro, tanta cum maiestate
suspensum tenent, ut deoios, & sacerdotum &
populi animos, ut æquum est, conciter ad reli-
gionem. in hoc pulcherrimo templo quoiam ea,
quæ ad diuinum cultum pertinent, rectissime meo
quidem iudicio peraguntur, non grauabor illa
tibi paulo suslus explicare.

Primum igitur, ut a minoribus ad maiora
progrediar, xxiiij. Acolyti proborum sum.no-
bitium, tum mercatorum, & artificum filij sunt
instituti, qui vicenos quaternos tritici modios
quotannis accipiunt singuli (ea summa duobus
hominiibus annum victum abunde præbet) &
vestem tertio quoq; anno ac nescio quid pecunie,
gratiseq; in literis, & musicis diligenter erudiuntur.

Præterea magnus est numerus clericorum, qui
bus et si nullum certum emolumenatum assignatur,
nonnunquam tamen adiumenta quædam exhibi-
tentur. Illud certè non parvifiendum semper
habent, quod gratuitis præceptoribus in politio-
ribus, sacrificique literis, & in musicis utuntur.
Ad hæc cum substituendas est aliquis Acolytus ex
eorum

gorum potissimum numero creari solet. quia quis-
dem in re & probitatis, & ingenij ad religionem
propensi, & eruditionis habetur ratio. Ex quo sic
vt mutua quadam æmulatione ad bonos mores li-
terarumq; studia, & optionem de se spem concitat
dati studiis prouocantur. Horum omnium ha-
bitus honestus, ac decens est, nec illis permittitur
vestimentis breuioribus, aut sordidioribus uti, qua-
spectantium oculos possint offendere. Episcopus
una cum Canonicorum Collegio maximam ho-
rum institutionis & vitae curam gerit, est enim ve-
luti seminarium, unde per totam Diæcesim fru-
ctiferæ (ut ita dicam) plantæ distribuuntur. proin-
de diligenter prouidetur, vt optimos & doctissi-
mos habeant literarum & musicæ præceptores,
qui ne mores confundantur neminem in scholas,
qui non sit clericus, admittunt, præmium vero do-
& toribus nullum certum constiuitur, sed nunc ma-
ius, nunc minus, pro eorum meritis & qualitate.

Præterea sacerdotem filii præfecit Episcopus
virum cum doctum cum probum, qui quotidianè ex
libris sacris aliquid interpretetur, documenta qua-
dam pro auditorum ætate decerpens, quibus tene-
ros eorum animos informet ad Religionem. idem
sacerdos orandi rationem docet, eorum confessio-
nes audit, eisq; sacratissimam Eucharistiam festis
solennibus, & diebus Dominicis, vel sâkem singu-
lis mensibus communicat.

Diluculo conueniunt quoddie Acolythi & cle-

rii ad gymnasium , vbi ex quibusdam Armaris sumpta superpellicea , quas Cottas appellat , aptat sibi , atq; ita bini cum alio quodam sacerdote , cui munus hoc mandatum est , petunt ecclesiam cathe dralem , ibiç in capella beatæ Virginis dicata , ad eiusdem Virginis honorem missam canunt magna cum reuerentia , & astantis populi deuotione . Missa decanata , similiter bini modeste ad gymnasium reuertuntur , ubi , quoniam diebus serialibus nihil aliud agunt in ecclesia , reliquo diei tempore in literarum , & musicæ studijs , alijscq; pjs exercitijs a præceptoribus continentur .

Festis diebus Episcopum , aut eius Vicarium , si forte non adest Episcopus , ad concionem , si habetur concio , sin minus , ad missam maiorem , itemque ad uesperas , deducunt , & reducunt domum .

In choro modo canendi assiduitati incumbunt , modo quædam alia officia alacriter exequuntur , nimirum ut thuribula parent , cereos accensos ferrant , libros porrigant , scabellum , aut cathedram , ubi res poscit , collocent , Hæc tamen officia non semper ijdem , sed modo hi , modo illi , mutatis vicibus , faciunt , sic enim magister ceremoniarum iubet , ut & decus seruetur , & omnes discant ea , quæ ad eiusmodi cultum spectant efficere . Sic autem sunt instituti , ut quoties audiunt Gloria patri &c. aut sacratissimum Domini Iesu Christi , Beateq; Virginis Mariæ nomen , statim om-

nes honoris gratia surgant , caput aperiant , & inclinent .

Episcopus , qui eorum & probitatis , & eruditio-
nis maximam rationem habet , eos cum præce-
prioribus ad se diebus festis a prandio sœpissime
iubet conuenire , quo præsente tam de litera-
rum studijs , quam de rebus spiritualibus interro-
gantur . Ex quo fit , ut alacrius discant , & ea ,
quæ semel didicerint , fidelius teneant , ut quan-
do de se periculum faciendum sit , possint præ-
clarum aliquod specimen præbere , quo maius ;
& tutius præmium assequantur , sciunt enim id
multis alijs accidisse .

In primis prouidetur , ut sine virtio honeste mo-
deratç uiuant , assiduique & ad missam quo-
tidie ueniant , & chorum ludosque literarios fre-
quentent , eaque præstent , quæ supra diximus , &
alia multa . Prohibitum est illis choreis , & pu-
blicis ludis interesse . cautum est etiam , ne alio
se , quam in ecclesiam canendi causa conferant ,
ne ue laicorum utantur familiaritate , aut ab
urbe ausint discedere sine licentia præfe-
ctorum .

Qui nulla iusta causa impediente Beatae Vir-
ginis sacro non adsunt quotidie mane , stipendio
quodam diurno , quod illis præbetur , carent .
Quod si sœpius desint officio suo , primum qui-
dem castigantur , & corripiuntur . Sin nulla
reprehensionis habita ratione , in contumacia

perstent, tum vero illis reflectis alij in eorum locis
substituuntur.

Si quis instigante diabolo in insigni quopiam
flagitio deprehesus fuerit, ne se indicta causa mul-
ctatum quæri possit, re diligenter explorata, & te-
stibus confirmata, ab aliorum contubernio statim
expellitur, i eius locum alio subrogato, neç enim
seme electo spes villa relinquitur, vt amplius re-
cipiatur, si quidem pro exiguo errore non fuisset
expulsus, sed tantum admonitus, ac verberatus.
Necesse autem putant, yt in scelestos & flagitio-
sos eiusmodi, seuere admodum animaduertatur,
vt & meritas improbi pœnas luant, & eorum
exemplo cæteri, qui adolescentiæ feruore in eius-
modi peccata præcipites ruunt, cohibeantur.

Vestimenta eorum tam interiora quam exte-
riora honesta sunt, & gradui conuenientia. etenim
si tibialia, si diploides, aut calceos incisos gesta-
rent, induitue more laicorum incederent, quæ si-
bi penitus interdicta plane sciunt, se aspere punie-
dos, atq; etiam repudiandos esse non ambigeret.

Cautum est, yt decentem tonsuram (quam co-
ronam, seu clericam dicunt) semper habeant, &
idcirco merces annua tonsori tribuitur, vt octauo
quoq; die ad eos tondendos accedat.

Post festū nativitatis beatæ Virginis vna pars,
petita impetrataçp potestate, animi gratia rus pe-
tunt, vbi se quindecim dierum spatio honestis vo-
luptatibus oblectant & recreant, reliqui interim

Nec missæ quotidie summo mane , nec choro , & cæteris officijs desunt, atq; hi vicissim illis reuersis & munere suo fungentibus , tantundem temporis animum rusticis oblectionibus relaxantes consumunt. Cauetur tamen , ut ruri quoq; proborum hominum consuetudine vrantur , ne per nimiam licentiam insolecant. itaq; vicinarum ecclesiarum ministris negotium committitur , ut eoru, dum ibi uersantur , curam gerant.

Si quis autem præmij inuitatus , aut sponte se in prælati , aut clavis alicuius familiam insinuat , ut paedagogum agat , & liberos eius instituat , Acolythorum emolumento , & dignitate priuatur . cum enim rationibus suis aliter consulerit , nō est æquū , ut locum alterius occupet , præsertim cum nequeat instituendis pueris , aut alijs negotijs impeditus Acolythorum muneri satisfacere .

Quando ætate & doctrina ita prouecti sunt , ut uideantur studijs maioribus idonei , qui uolunt ad urbes , in quibus disciplinarum omnium studia florēnt , ut Patarium uidelicet , aut Bononiam sese conferre , eis deni aurei quotannis enumerantur per septem annos , primo tamē anno nescio quid amplius suppeditatur , quo libros & alias res necessarias sibi parare possint , ea tamen lege hæc illis præbentur , ut & mores , & uestitus clericales tueantur , & gerāt , alioquin nihil eis omnino tribuit .

Vt ecclesia possit aliquando uti eorum opera , & ministerio , quos tanto studio & labore , ac sumptu-

educandos curauit, ubi annos legitimos impleuerunt, illis suadetur, ut uelint sacros ordines susciperet, collaqp sua*ui* iugo seruitutis domini Iesu Christi submittere.

Si humanioribus literis tam expoliti, ut plane possint quę sacris librīs continentur intelligere, ad altiora aut nolunt, aut ualestudinis ingenij ue imbecillitate nequeunt ascendere, conuenientibus modis & temporum interuallis ad sacerdotium prouehuntur, atque ita seruientes choro, & eas res, quas sacri ordines postulant exercentes, aliquem locum ex xiiij. de quibus mox loquemur, aut aliquam Capellam, aut beneficium consequuntur, aut certe animum ad aliquod aliud honestum studium applicant. Quod si ex hac tam laboriosa diligentia, ut ita dicam, cultura, fructus tandem optatos ac expectatos nasci non uidet, dolet ille quidem vicem infelicitatis humanæ, gratias agens Diuinæ Maiestati, quod ad ipsius honorem se fecerit tempus & operam collocare, & mentem eiusmodi largitus sit, ut nullis rebus aduersis uelit a tam honesto proposito desistere sed tamen se uehementer etiam consolatur, cum in non nullis animaduertit, le labore, & sumptum mini me perdidisse.

Præter xxiiij. Acolythos, & multos alios clericos, de quibus mentionem fecimus, sunt aliij sex clericis, qui certos prouentus annuos habent, appellat autem clericis a missis, si quidē eorū officiū est missas

celebrantibus & canētibus ministerare. Quamobrē
in hac parte abunde prouisum erat ecclesiæ.

Verum cum hac nostra tempestate ad eiusmo
di homines peruenissent hi tituli, qui sibi turpe du-
cerent, suo officio fungi, atq; ita ecclesiæ minime
satisficeret, imperatum est, ut sex alijs clericis id ne-
gotij daretur cum annuo stipendio xvij. modio-
rum tritici & ueste, qualis præbetur Acolythis. sūt
autem hi sex clerici fere p̄superum filij. habent p̄re-
terea discendi grammaticam, musicam, & sacrae
literas facultatem. quicquid enim ab officio suo
temporis reliquum habent, recte studijs impen-
dunt. eorum autem cura cum Thesaurario, tum al-
teri cuidam probo sacerdoti est demandata.

Et quēadmodū si suo desint officio, aut flagris
dignū aliqd admittāt, p̄ meritis puniūtur, atq; etiā
priuātur officio, ita qui bene se gerunt, nec merita
carēt laude, & i Acolytorū collegiū cooptantur.

Hactenus de clericis dictum sit, nūc ad sacerdo-
tes ueniamus, & primum ad māssionarios. Hi qua-
tuor sunt, eligūtur autē eiusmodi, qui & literarū, et
musicæ disciplina, & uitæ, morūq; pbitate, & cor-
poris, si fieri potest, dignitate p̄cellāt. Horū officiū
est, festis diebus maiorē missā canere, quoties eam
nec Episcopus canit, nec vllus canonicus. p̄terea, cū-
sunt chori moderatores, oportet ut ingrediant̄ ipsi
primi, præsertim hebdomadarius, q; & luminaria
parāda, & libros suis locis collocādos curet, psal.
lect. &c. quę dicenda sunt, reperiāt, notetq; ad eos

etiam pertinet, ut canoniciſ , cum missas canunt; tribuant affiſtentes, obſeruantes ea, quæ, in Pontificali de affiſtentis offiſio continentur. unus autem ex iſpſis mansionarij est magiſter ceremoniarum. est præterea magnus numerus capellanorum, qui in integrity, doctrina, magis minus ue idonei ſunt, quemadmodum diuersi ſunt etiam illi, qui earum capellarum iuspatronatus, & collationem habent. Hi fere omnes tenentur reſidentiam facere, miſſamq; crebrius, aut rarius, prout ſingulorum capel lae ratio & iſtitutio poſtulat, celebraſe.

Sunt etiam xij. Capellani, qui ab ipſo numero xij. appellantur, quorum inter eſt omnibus festis, & diebus aliquot ferialibus miſſam dicere, quotidie in choro reſidere. hi præter reſidentiæ emolumē tum octonos denos ſinguli quotannis aureos nummos accipiunt, de promptos ex eodem loco, unde ſalaria præceptoribus, acolythis, cantoribus, exhibetur. Vocatur autem menſa Acolythorum, quam ab Eugenio Pontifice Maximo, qui fuerat canonicus Veronensis, iſtitutam fuiffe dicunt.

Prædicti omnes mansionarij & capellani ad matutinum, ad maiore missam, ad omnes deniq; horarias preces in ecclesia cathedrali publice canendas tenentur accedere. Si contraſecerint, notātur a punctatoribus. Sunt enim duo ex iſpſorum numero iure iurando addicti, qui eos omnes, qui ſtaturis temporibus Diuino cultui deſint, in libello quodam, ubi ſingulorum nomina ſcripta ſunt,

punctis signent.

Qui maiorī missæ non intersunt, notantur, ut supradixi, qui uero, cum anniversaria pro mortuis celebrantur, maiorī missæ decantandæ nō ad sunt; totius diei stipendium amittunt, licet ad matutinū & ad alias preces accesserint.

Si quis autem propter longiorem absentiam, aut quod propter opulentiorē Capellæ dotem residere dignetur, quam debet residentiam nō præstiterit, quotannis ab eius prouentibus aurei quinq̄ detrahuntur (nisi sp̄ote sua id ipse faciat) ac tribuunt alicui, qui illius nomine chorū frequēt̄. Ex illorum uero capellanorum numero, qui xij. appellantur, si quis diutius residendi officio nullo legitimo distētus impedimento desit, ea dignitate priuat̄, alio in eius locū, qui sic assiduus, subrogato.

Quoniam nonnulli quanvis in ecclesia sint, tamen negligentia quadam nō ingrediuntur prius quam officium incoptum fuerit, cautum est, ut qui ad principium matutini, uesperarum, Missæ, & alias rum precum in chorū nō introierint, pūctis ita noctetur ut illius missæ, aut horæ careat emolumēto.

Chori præfectus sacerdos prudens & eruditus, finitis uesperis, statim matutini sequentis lectio-nes distribuit, ut prælegentes priuatim qui postridie mane in choro lecturi sunt, barbarismos soloē cismosq̄ caueant, in quos facile solent incidere, qui imparati ad legendum accedunt.

Qui negligentia arrogantia ue legendo pec-

cant, præsertim admoniti , grauius corriguntur & castigantur.

Hebdomadarius, aut qui vicem illius gerit, nisi ad incipiendum officium adfuerit, punctatur.

Omnis autem , qui residentiam facturi accedunt, aut ecclesiam induit super pelliceis ingrediuntur, aut ea sumunt in Sacrario ex quibusdam arculis, ubi reponuntur, atque ita simul ac campana signum est datum , sine tumultu modeste intrant in chorum, salutatoꝝ & adorato domino Iesu Christo, cuius sacratissimum corpus, ut diximus , in meo dio choro super maiore altari in pulcherrimo tabernaculo sublime conspicitur, ille, cuius interest, officium incipit, atque ita cæteris respondentibus distincte & apposite ad intelligendum celebratur.

Porro quoniam nonnulli specie quadam commoditatis adducti, officium nouum, imperata ramen a summo pontifice potestate, dicebat, in choro autem, credentes se muneri suo iam satisfecisse, cum cæteris canere negligebant, admoniti sunt, ut officio ordinario ne desint, nec enim ipsos si cum cæteris cantare, quemadmodum faciebant antea, desistant, præstare id, quod tenentur, & brevi fore, ut, si plures(ut sumus plerique omnes a labore ad desidiam proclives) eorum exemplum sequi perrexerint, chorii ministerium deseratur.

Quotidie post sextam ante maiorem missam lataniæ cum orationibus deuote recitantur.

Vigilijs & diebus Dominicis, ac alijs festis (nisi

ad sit Episcopus, tunc enim in choro id sit) ad capellam beatæ Virginis bini procedunt ad canendum antiphonam, & orationem temporis conuenientes.

Anniuersaria & suffragia mortuorum diligentissime celebrada curantur, ideoque maiorem quamdam multam incurrint qui frequentes ad ea non conueniunt.

Vt uero omnis ignorantiae causa penitus excludatur, statutum est, ut die praecedenti finitis sancti, aut feriæ vesperis, vesperæ mortuorum dicantur, canteturque Libera &c. supra locum paratum, si mortuus ille, cuius anniuersarium celebratur, propriam non habeat sepulturam.

Præterea habet tabulam quandam, ubi legata, et anniuersaria per singulos menses ac dies descripta sunt.

Solet Episcopus saepe clausa ad locum quendam secessare, unde residentes cernere potest & audire.

Eius autem vicarius diebus festis in choru uadit ad maioris missæ sacrificium, ad uesperas, et processiones.

Curatur diligenter, ut in choro deuotio atque silentium seruetur, eaque res adeo custoditur, ut neminem ne canonicus quidem audeat, dum sacra celebrantur officia, e choro egredi, ac multo minus latum ullum colloquendi gratia in chorum admittere. Quod si quis uellet ante totius officij finem exire, perinde multaretur, ac si residentiam non fecisset. idem fit etiam in processionibus. Si quis tamen aliqua legitima causa cogatur ante finem discedere, aut si vocetur a sacrista ad dicendam missam, accipit a punctatore discedendi potestatem.

**Missæ postridie celebrandæ, præsertim prima, se-
cunda, tertia, & quarta certis sacerdotibus pridiæ
vesperi distribuuntur, qui, si præfinito tempore pre-
sto non sunt, præterquam quod alias suo tenentur
officio satisfacere, multam tamē quandam incur-
runt, propter offendiculum, quod eius culpa con-
tigisset, nisi id sacriste sedulitas euitasset, solet enim
per alios eiusmodi scandalis occurrere.**

**Quo autem quisq; die teneatur missam dicere,
facile potest intelligi ex tabella quadam, affixa pa-
rieti Thesaurariæ seu sacristiæ, in qua omnium
missarum, quæ ex capellarum institutione dicen-
de sunt, series continentur.**

**Cum missam celebratur ad Sacristiam acce-
dunt, si alicuius peccati sibi consciū uolunt se Do-
mino Deo per poenitentiæ sacramentum recon-
ciliare, non deest confessorum copia ex residenti-
bus fratribus, quibus id muneris sit demandatum.
neq; enim cuilibet licet cōfessiones audire, quem
admodum dicemus suo loco.**

**Id autem ut facilius præstent, utq; ante missæ
celebrationem deuota aliqua meditatione & pre-
catione possint animum ad tam cœleste sacrificiū
excitat, duo sunt loca sacristiæ contigua huic
uni rei destinata. est item aliis locus in quo recens
aqua, mundatq; linteamina ad abluendas tergen-
dasq; manus continentur.**

**Tum lecta ordinataq; missa (sic enim cōstitutū
est) uestimentis sacerdotalibus, lineis, candidis, &**

alij diuersorum colorum tempori conuenientibus induuntur.

Ac priusquam exeat e sacrario clericus a missis candelas accendit, & candidæ ceræ ferens intonitum præcedit ad altare, alter autem clericus ampullas cum vino & aqua, patinulamque & linteolum ad manus abstergendas affert. Sic igitur magna cum modestia ac deuotione procedunt missamque clara uoce distincteque pronuntiant.

Omnes eundem ritum nempe Romanum in confessione facienda eisdemque ceremonijs obseruandis sequuntur, ut in ordine missæ præcipitur, quem librum episcopus, ut eum quisque facilius intelligat, & obseruet, in linguam Italicam uertendum imprimentumque curauit. Hanc autem rationem & ordinem in emittendis sacerdotibus ad celebrandum obseruat sacrista, ut semper bini saltē missam, in ecclesia dicant, binique sint in sacrario parati, ac plures etiam, si plures solennitas postulet. Finita autem missa magna, & nona, quæ statim a missa magna pro commoditate sacerdotū, qui diuersis in locis magno inter se spatio distantibus habitant, canitur, sacrista saltē unam missam celebrandam curat, ut tanto sacrificio peregrini, & qui aliquo negotio fuerint impediti ne careant.

Sacerdotes peregrini ad celebrandum neque in ecclesia cathedrali, neque alibi admittuntur, nisi prius Vicario se præsentauerint, qui si cognoscit

cos non indignos, id est, non apostatas, non uagos, & si dimissorias a suis prælatis atque ordinum bullas ostendant, mandat, ut eis a sacrifa celebri di potestas concedatur. Quod si aliquam ob causam haud ita admittendi uideantur, ac velint omnino, deuotionis gratia celebrare, semel tantum in aliquo secreto loco celebri faculta præbet. Nemini sacrifa pmitteret, ut sago, aut uestimentis breuioribus calceis' ue incisis, aut alijs habitibus minus deceribus induitus se ad dicendā missā pararet.

Quotidie notat diligentissime qui celebri officio defunt, idemque faciunt punctatores.

Singulis mensibus, quoties quisque defuerit, ex punctorum libello colligitur, ac toties quinq; solidorum Veronensium multam incurrit, qui diebus ferialibus defuit: festis autem diebus multa duplicatur. Hac autem pecuniæ summa ex multis collecta tot missæ ab eis, qui non sunt obligati, communi eleemosyna celebriæ curantur, atque ita diuino cultui abunde consulitur.

Capellani, & altaristæ, æquæ portionis aut omnium fructuum amissione ad debitum missarum numerum, per se, aut per alios exhibendum adiguntur.

Nonnullis plures capellas aut altaria propter prouentuum tenuitatem ita permittitur possidere, ut quibus diebus duplices missas habent, per alium prouideant, ut satisfiat.

Ita fit, ut cathedralis ecclesia, missis, quas undique conuenti populo subministrat, nuncque careat.

Solet Episcopus requirere, ut ex ijs, qui nuper creati sunt sacerdotes, & ex alijs etiam, si eorum utilitas ita ferat, nunc unus, nunc alius diebus feria libus aut in Episcopatu, aut in ecclesia se præsente missam celebrent. Quosq; aut non ita bene legere, aut ceremonias non obseruare, aut parum deuotos esse animaduertit, paternis admonitionibus corripit, ut in tanto sacrificio se rectius gerat. inde fit, ut ad ea, quæ postulat gradus sacerdotalis & negligētes incitetur, & studiosi fiat paratiōres.

Vetitum est, ne missæ nouæ in plateis cum tibijs, choræis, opiparisq; conuolujs celebrentur, quin potius ut moderata, quæ propinquis & religiosis hominibus exhibentur, conuilia, sancta aliqua concione, aut lectione condiantur.

Ad tollenda scandala, quæ aut senectutis, aut obliuionis, aut lippitudinis, alijs ue morbi causa contingebant, multis sacerdotibus iussum est, ut abstineant a missæ celebratione.

Quoniam æquum non est, ut temere tantum sacrificium passim impēdatur, cautum est, ne presbyteri, aut fratres in laicorum domibus celebrent.

Quod tamen quia difficile poterat impetrari, necesse fuit, ut huic rei partim legitimis argumentis, quæ collecta impressaç; sunt, partim auctoritate a summi Pontificis Sanctitate concessa superiore priuilegijs, quæ illi ostendebant, prouideretur. Nec tamen infirmi honestis consolationum solatijs destituuntur.

Altaria , super quæ sacra celebrantur , aut ipsæ sacrata sunt , aut altariolum , siue paruum lapidem consecratum sic inclusum & coæquatum habent , ut nulla prorsus inæqualitas celebrantem impediat . Nam propter pericula , quæ sacerdotibus solent contingere , non permittitur , ut super sacratos lapides celebrent , qui altaris mensa sint eminentiores .

Vt & munditia conseruetur , & debitus honor altaribus habeatur , nemini licet Biretum ponere super altare . Quin etiam cautum est , ut ubique tela viridi , alias ue coloris altaria cooperiantur , ut ea conuoluta , sublataque cum ad cœleste illud conuium acceditur , tobaleæ candidæ , a puluere & omnibus sordibus turæ reperiantur .

Quotannis tabula sanctorum imprimitur , ut omnes totius Diæcessis sacerdotes eandem in persoluendo officio , dicendaque missa , & celebrandis sanctorum episcoporum Veronensium solennitatibus ratione sequantur . Hæc autem ciuitas xxxvi . Episcopos habuit , qui vitæ sanctitate , magnisque virtutibus clari ad sanctorum numerus adscripti sunt .

Omnes hi sacerdotes de quibus hactenus locuti sumus , interius , exteriusque uestimenta gerunt honestissima , tonsuramque , siue clericam magnitudine decentem , atque perspicuam . nec enim illis aliter facere permitteretur . Hoc autem de yniuersis totius Diæcessis sacerdotibus dictum uelim .

Deambulationes in ecclesia Religiosis omnibus

Ibus sunt interdictæ , idç ut à laicis etiam obserue
tur, summū (ut çquū piusq; est) studium ponitur.

Nemo ab urbe dioecesi ue discedere auderet, ni
si prius muneri suo, quale id cunct; sit, vicarium ali
quem constituisse. Alioquin in certam multam
incurreret.

Nemo item ausit aliquam foeminam ad suam
reic; familiaris gubernationē assumere, nisi prius
id magistratui denuntiarit, ut ipsius etate, & mori
bus consideratis, utriū concedenda sit, intelligatur.

Solet Episcopus horum cathedralis ecclesiæ fa
cerdotum capitulum una cum Reuerendis Archi
presbytero & deputatis canonicis conuocare, ma
gnaç; diligentia minus obedientes inquirere, pa
ternisq; admonitionibus castigare, & ad colen
dam honestatem, religionem, ac pietatem cohore
ari. Quos autem imperitiores animaduertit, ut
ut ad certum aliquiu probum & doctum sacer
dotem frequenter accedant, a quo & Breuiarij, &
Missalis, & aliarum rerum ad ipsos pertinentium,
utrum atq; peritiam consequantur.

Thesaurarius officium , quando ille cuius in
terest, non exequitur, necesse est, ut per alium cure
